



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

In Genesis Enarratio

Chyträus, David

Vitebergæ

VD16 C 2625

III Testimonia Prouidentia Dei.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36126

sunt, Omnium sapientum extra Ecclesiam falsa opi-
niones de primordijs rerum.

Aristoteles in Octauo $\Phi\upsilon\sigma\iota\kappa\omega\varsigma$ ἀκροῦσεως, con-
tendit Mundum eternum esse.

Stoici duo rerum omnium principia posuerunt
Deum & Materiam.

Democritus & Epicurus Mundum ex Atomis
componunt temere & casu concurrentibus, & quo-
tidie nouos Mundos oriri & occidere fingunt.

Thales, qui proxime uidetur ad Mosis sententi-
am accedere, dixit aquam esse principium rerum.

Deniq; magna uarietas est discrepantium opi-
nionum, de principijs & causis omnium rerum, effi-
cientibus & materialibus apud Philosophos, quas
Aristoteles in primo $\pi\epsilon\gamma\iota$ ἀρχῶν collegit.

III.

DE PROVIDENTIA.

Apud Philosophos, ut apud Ciceronem in secun-
do de Natura Deorum, & Platonem in Decimo de
Legibus & alibi, quatuor sunt præcipuæ Questio-
nes de Deo.

- I. An sit Deus.
- II. Qualis sit.
- III. An hic Mundus Dei consilio conseruetur &
administretur.
- IIII. An Deus curet genus humanum, et an flecta-
tur hominum precibus ac sacrificijs.

Etsi autem multi furenter negant esse prouidentiam, tamen contra hanc Epicuræorum amentiam confirmat nos Deus testimonijs illustribus & immotis, non solum patefactionis & uerbi sui, sed etiam totius ordinis à se in pulcherrimo hoc Mundi opificio instituti, quod in hoc Capite describitur. Illustrissima enim Prouidentiae testimonia sunt, uniuersum hoc theatrum totius naturæ rerum, ipsa mundi figura, cœlum, Sol fons lucis & caloris uitalis, Luna certis uicibus lumen à Sole recipiens, rati & immutabiles Solis, Lunæ & omnium astrorum cursus, & motuum leges certe ab hominibus Deo ducente peruestigatam Syrii, Arcturi, Orionis, & cæterarum Stellarum pulchritudo, numerus, & magnitudo, uices dierum ac noctium, uices temporum anni, ueris, æstatis, autumnii, hyemis ad utilitatem rerum nascentium accommodatæ, Terræ situs & fecunditas, omnes res terra nascentes, gemmæ, Metalla, plantæ, arbores, herbæ, flores, fructus, Mare, fontium & fluminum perennitas, pisces, Animantia, & in his tanta uarietas, & specierum perpetuitas, propagatio & generationis modus, deniq; Homo ipse & in corpore humano singularum partium constructio, situs, coagmentatio, substantia, figuræ, qualitates, uires & actiones certis usibus destinatæ. Et in Mente Hominis naturales noticiæ de Deo, & discrimine honestorum & turpium, & iudicium conscientie in re recte & secus factis, Quæ omnia cum aspiciamus fatere cogi-

ri cogimur, ut in primo ἀπομνημονοματώρ Xenophon ait, τὰυτὰ σοφῶς τινος δημιουργῶς καὶ φιλοζώου τέχνημα εἶναι, id est, Hæc Sapientis Architecti & amantis Hominum opera esse.

Eruditissime autem hæc testimonia diuina prouidentie in cælo & in terra, exponuntur à Cicero-
ne in Secundo libro de natura Deorum, Quem diligenter Studiosi legant, & meminerint hos Claudi-
ni uersus.

Hæc cum dispositi cernebam fœdera Mundi
Præscriptosq; mari fines, anniq; meatus,
Et lucis, noctisq; uices, tunc omnia rebar
Consilio firmata Dei, qui legi moueri
Sydera, qui fruges diuerso tempore nasci
Qui uariam Phœben alieno iusserit igne
Compleri, solemq; suo, porrexerit undis
Littora, tellurem medio librauerit axe &c.

TEXTVS.

Sed iam Mosén audiamus θεῶς ὁραπισυῖν concio-
nantem de Deo & de Creatione & prouidentia
Dei erga nos.

In principio) scilicet temporis & rerum, seu
primo die, cum adhuc nihil esset præter Deum &
illam immensam æternitatem, patefecit se Deus per
creationem Mundi.

Numerantur autem ab hoc principio conditi
D 3 Mundi,

Mundi, anni 5514. usq; ad hunc presentem annum à nato Christo 1552.

Creavit Deus) ברא אלהים *Bara Elohim*, creavit Dij. Plures personæ creatrices in una singulari essentia diuina significantur.

Cœlum & Terram) Primo die condidit Deus ex nihilo rudem, impolitam, informem, & obscuram massam, quæ fuit materia cœli et terræ, & omnium rerum cæterarum. Huic massæ eodem die lux addita est, quæ etiamsi non tam clara fuit quàm solis iubar, postea creatum, tamen ab ortu in occasum mota est, & discrimen diei ac noctis fecit. Hæc summa est operis primæ diei.

Quidam enarrant, Primo die conditum esse cœlum, id est, cœlum Empyreum seu cœlum cœlorum, habitationem Dei, Angelorum ac beatarum animarum. Et Terram, id est, materiam inferioris cœli & elementorum. Augustin. lib. 12. confessionum, cap. 20. quatuor huius primi uersus interpretationes piæ, & inter eas hanc quoq; recenset. Sed communis Doctorum sententia est, primo die creatum esse cœlum & terram, materialiter non formaliter.

Terra erat inanis & uacua :) תהו ובהו *Thohu Vabohu*, erat rudis indigestaq; moles, uacua plantis, hominibus, & iumentis, nondum instructa et ornata.

Abyssus) Significat aquam profundam. Vt Aristophanes in Ranis, ἄβυσσος πᾶν ἄβυσσος. Inæ est uerbum

uerbum $\epsilon\upsilon\alpha\sigma\omicron\delta\omicron\mu\epsilon\upsilon\epsilon\alpha\pi$, moliri aliquid profunde in animo, etiam insidiari. Homerus. $\epsilon\omicron\delta\lambda\alpha\gamma\omicron\pi\epsilon\upsilon\omicron\upsilon\tau\epsilon\omicron\varsigma$, κακα δὲ φρεσὶ $\epsilon\upsilon\alpha\sigma\omicron\delta\omicron\mu\epsilon\upsilon\epsilon\alpha\pi$, id est, Hi bona dicebant, animis sed praua struebant. Psal. 36. Iudicia tua abyssus multa, id est, non possunt peruestigari.

Hoc loco fere Synonyma sunt, Abyssus, Aqua, Caelum, & significant molem illam aqueam, cui terra immersa erat, adhuc rudem, confusam, et tenebriofam, ex qua illustrata & digesta ac expolita, Caelum, Terra, Plantae & animantia condita sunt.

Faciem Abyssi) Facies in plerisque locis nihil addit ad significationem substantiui, cui additur, ut hic super faciem Abyssi, super faciem Aquarum, hoc est, super Abyssum, super aquas. Gen. 6. Repleta est terra in iniquitate a facie eorum.

Et Spiritus Domini fouebat aquas,

Illustre testimonium est de Spiritu sancto. Cum igitur Ecclesia his diebus doctrinam de persona & beneficijs Spiritus sancti publice proponat, recitabo breuem explicationem huius primi dicti de Spiritu sancto, quam spero studiosis profuturam esse.

Vocabuli SPIRITVS Octo ferè significationes in Scriptura usitate sunt.

1. Nomen Spiritus in genere significat agitationem, seu naturam agentem, Nam uerbum $\pi\upsilon\upsilon\alpha$ unde $\pi\upsilon\upsilon\alpha$ deducitur, idem ualet, quod agitare seu uentilare.

II. Significat Ventum, Quia uentus est exhalatio agitata in aëre. Psalm. 103. Homo sicut fenum, dies eius, tanquam flos agri sic efflorescit, Quia spiritus adflabit illum, & non subsistet. Psalm. 1. Erit tanquam puluis, quem dispergit Spiritus à facie terræ. Eccles. 11. Spiritus uia, quæ sit ignoras. Ioh. 3. Spiritus ubi uult spirat.

III. Vitam seu animam hominis communem cum bestiis. Nam anima est ζωδελέχεια, id est, Continua & perennis motio seu adsidua agitatio. Et Spiritus uitales sunt immediata sedes uitæ animalis, & inspiratione aëris aluntur. Psalm. 104. Auferes Spiritum eorum, & deficient. Psalm. 150. Omnis Spiritus laudet Dominum. Esai. 2. Cessate ab homine cuius spiritus in naribus est, hoc est, Non confidite humanis praesidijs, Nihil enim incertius est uita hominis, quæ subito efflari potest, Nam aëre ducto per nares spiritus uitalis alitur & refrigeratur.

IIII. Motus & affectus hominum creatos. Psalm. 32. Humiles spiritu saluabit. Psalm. 51. Sacrificium Domini Spiritus contribulatus. Esai. 66. Ad quem respiciam nisi ad contritum Spiritu. Proverb. 17. Spiritus tristis exiccat ossa, hoc est, Tristitia paulatim absorbet hominem.

V. Doctrinam & dona Spiritus sancti. 1. Cor. 14. Spiritus Prophetarum Prophetis subijcitur, hoc est, enarrationes, dogmata, sententiæ interpretum scripturæ, possunt mutari aut corrigi ab alijs peritionibus,

ribus, 1. Theff. 5. Spiritum ne extinguatis, id est, dona Spiritus sancti. 1. Ioh. 4. Non omni Spiritui credite, sed probate spiritus an ex Deo sint, id est, non omni dogmati credite, Omnis Spiritus qui confitetur Iesum Christum in carne uenisse, ex Deo est, hoc est, Omnis doctrina, quæ hoc unice spectat, ut doceat Iesum Christum Dei filium uenisse in carne, passum, mortuum, redemptorem nostrum & saluatorem unicum esse, ea procul dubio uera est.

VI. Animam rationalem Hominis. Psal. 30. In manus tuas commendo Spiritum meum. Act. 7. Domine Iesu suscipe spiritum meum. 1. Cor. 2. Spiritus Hominis, qui est in Homine.

VII. Naturam incorpoream quamcumq; Luc. 24. Spiritus carnem & ossa non habet. Psal. 103. Qui facis Angelos tuos spiritus. Ioh. 4. Deus est Spiritus.

VIII. Significat SPIRITVM SANCTVM, qui est tertia persona diuinitatis, procedens à Patre & Filio, ὁμοούσιος ἑστωάδιος, hoc est, consubstantialis et coæterna Patri et Filio, quæ in prima conditione fouit et uiuificauit omnes res nascentes, et postea omnibus temporibus mittitur in corda hominum, ut per Euangelion in eis accendat lucem et ueram agnitionem Dei, et

D 5 fidem,

fidem, & sit Paracletus fouens, consolans & uiuificans corda spiritali & æterna iusticia & uita. Vt enim in Homine Spiritus uitalis immediatum organum est uite animalis, impertiens uim exercendi actiones omnibus membris, Sic Spiritus Dei immediatum organum est uite spiritalis, efficiens ueram agnitionem Dei, timorem, fidem, dilectionem, fortitudinem in confessione, humilitatem & omnes uirtutes cum eo congruentes.

Quod autem Spiritus sanctus sit uerè & natura Deus, clarè testatur hæc ipsa narratio Moysi. Nam creare & impertire uitam creaturæ opus est proprium naturæ diuinæ & omnipotentis. Tribuitur autem Spiritui sancto creatio. Psal. 33. Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis exercitus eorum.

Et in huius capituli sententia, pro eo quod nos habemus, ferebatur, in Hebræo legitur מֵרָחֵף Me-
ra Hepheth, hoc est, fouebat uiuificans uitali calore, sicut auis incubans fouet oua, eisq; uitam & uigorem impertit. Sic etiam interpretatur Ieronimus. Et Basilius Syrum quendam huius Interpretationis testem citat. ὁ ἔως φέρετο φκοῖν ὁ ζῆν ἔντι ἀντί τῆ συνέδαλπε καὶ ὁ ζωογόνος πλὴν τῶν ὑδάτων φύσιν καὶ πλὴν εἰκόνα ἐπαξίσεως ὀρνίθου καὶ ζῶων τὴν δὴν ἀμὴρ ζῆσεως τοῖς ὑποδαλπο-
μῶσις.

¶ *Quoq; Ex hac enarratione sumta est hæc dulcis
precatio Philip: Melanth.*

Spiritus ut Domini nascentia corpora fouit,

Cum manus artificis conderet ipsa Dei :

Sic foueat cœtus, qui Christi oracula discunt,

Accendatq; igni pectora nostra suo.

Fiat Lux .

*Mira & imperuestigabilis est natura Lucis,
quam & corporibus cœlestibus, & nostris oculis ac
mentibus Deus indidit. Etsi igitur non possumus di-
cere aut penitus intelligere Quid sit lux, tamen uo-
cabuli significationes diuersas, aliquomodo decla-
rari, iunioribus prodest.*

*Primum autem in Scriptura LVX significat,
cœli, Solis, Lunæ, stellarum, ignis, aëris, aquæ, lumen,
quod ostendit res cæteras, & oculis corporeis per-
cipitur.*

*Deinde, In Oculis uelut flammula lucida est, de-
riiuata à luce cœlesti, quæ impertit oculis uim ui-
dendi.*

*Tertio. Ut oculis res propositas aspiciamus et co-
lorum discrimina dijudicamus, ita mentibus nostris
diuinitus insita est lux, qua Deum agnoscimus, et di-
scrimina honestorum & turpium cernimus, et ordi-
nem, numerum, distinctionem, naturam & proprie-
tates rerum à Deo conditarum quasi aspiciamus.
Ideoq; uerbum Dei passim in scriptura uocatur lu-
cerna,*

cerna, lumen, lychnus, quia in nostris mentibus accendit lucem ueræ agnitionis essentiæ & uoluntatis Dei, & tenebras ignorationis & dubitationum depellit.

Quarto. Filius Dei sæpius nominatur lux, primum quia est ἀπ᾿ ἀγαθῶν seu splendor lucis paternæ, Ebr. 1.

Deinde, quia cum post lapsum lux mentibus humanis insita, densa & tetra caligine obscurata esset, missus est, ut per Euangelion nouam lucem recte agnoscentem Deum, & uitam æternam in hominibus instauraret, ideo dicitur Iohan. 1. Erat lux illa lux uera, quæ illuminat omnem hominem. Iohan. 8. Ego sum lux Mundi. Luc. 2. Lumen ad reuelationem gentium, hoc est, ad illuminandas gentes ueræ agnitione Dei.

Quinto. Deus est ipse lux quædam admiranda, 1. Iohan. 1. Deus lux est. Iacobi 1. Descendens à Patre luminum, in quo non est obumbratio. 1. Timoth. 6. Habitans lucem inaccessibilem. Sunt & Angeli nature lucidæ, ut Psal. 103. dicitur. Et Chrysostomus inquit, εὐτὸροσ φῶς, μετὰ δὲ πρῶτορ, ὃ ὄσι δὲ φῶς ἢ φῶς φῶτωρ λέγειτὶ ὁ ἄγγελος. Sed hæc sublimiora mitto.

Sexto. Vsiatissimum uocabulum lucis in sacra Scriptura significat ueram noticiam Dei, consolationem, uitam, liberationem ex morte & calamitatibus,

tibus, & omnes res optimas. Econtra tenebrae significant ignorantiam Dei, peccatum, mortem, & tristissima mala, ut Esai. 9. Populus qui ambulabat in tenebris, uidit lucem magnam, id est, totum genus humanum oppressum peccato, ira Dei, liberatur ex his malis per filium Dei.

Esai. 60. Surge illuminare Ierusalem.

Mich. 7. Cum sedero in tenebris, Dominus lux mea est, hoc est, in doloribus & ærumnis Deus me consolatur & sustentat.

2. Cor. 4. Deus Mundi huius excœcauit mentes incredulorum &c.

Hanc commonefactionem de uocabulo lucis spero Studiosis utiliore fore, quam coaceruationem plurimarum inutilium & curiosarum Questionum, quas multi in hoc loco cumularunt.

Consentaneum est hanc lucem primo die creatam ab ortu in occasum motam, aliquod discrimen diei & noctis fecisse, usq; ad quartum diem, quo Sol conditus est, qui inferiorem hanc mundi machinam illustrauit, & lucem primo die conditam auxit.

Vespere & mane dies unus) Iudei initium diei capiunt à uespere. Hinc intelligi potest, quomodo Christus uno & eodem die Pascatis, & celebrauerit Pascha Iudaicum uespere, & ipse uerum pascha in ara crucis immolatus sit, hora diei artificialis sexta.

Astro-

Astrologi à meridie inchoant diem.

Christiani à media nocte.

Itali & Silesij horas diei etiam à uespera numerare incipiunt.

Initium anni apud Iudeos ab æquinoctio uerno. Apud nos à Solstitio hyberno. Apud Græcos à Solstitio æstiuo sumitur.

Vnus:) Id est, Primus. Marci 16. Vna Sabbatorum ueniunt ad monumentum, id est, prima die septimane.

1. Corinth. 16. Vna sabbatorum fiat collectio, id est, die Dominico, qui est primus dies post Sabbatum.

Act. 20. Vna sabbatorum conueniebant Discipuli ad distribuendam Cœnam Domini.

SECUNDVS

Dies.

Fiat Firmamentum.

Firmamentum nominat totam ætheream regionem & omnes Sphæras quæ ab Astronomis distribuuntur, uidelicet primum mobile, firmamentum seu spheram Stellarum fixarum. ♄. ♃. ☉. ♀. ☿. ☽. Saturni, Iouis, Martis, Solis, Veneris, Mercurij, Lunæ.

Hi septem orbes Planetarum & octauus Stella-

rum

rum fixarum, præter diurnum motum, quo ab ortu in occasum quotidie semel circum terram circumaguntur, habent etiam alium proprium motum priori contrarium, quo super polis Zodiaci, contra motum primi mobilis, ab occasu uersus ortum leniter contrantuntur, ac quo longius à primo mobili ab sunt, eo celerius proprio motu ab occasu uersus ortum progrediuntur, ut Luna 27 diebus et octo horis semel Zodiacum ab occasu uersus ortum peragrat. Sol, Venus, Mercurius, annuo spacio eundem cursum conficiunt, Mars uno anno, 321 diebus. Iupiter 11 annis, 312 diebus. Saturnus 29 annis, 155 diebus.

Vt autem amplitudo sapientie ac bonitatis diuina, in fabricando hoc immenso & mirando cœli opificio, & ordinandis motuum immotis legibus, aliquo modo aspici possit, tota doctrina Astronomica huc referenda est, quæ figuras, magnitudines ac interualla cœlestium corporum, constantes ac fixos in tanta uarietate Syderum cursus, & ex his pendentes temporum distinctiones, stellarum uires, & efficaciam in cienda hac inferiori natura demonstrat.

Interualla & amplitudines cœlestium orbium, ut ab Astronomis traduntur, ex hac Tabella sumi possunt.

Semi-

<i>Semidiameter maximæ circuli in Orbe.</i>	☾	<i>habet Semi- diametros Terra</i>	$18 \frac{11}{12}$
	♃		$116 \frac{1}{2}$
	♄		$64 \frac{1}{4}$
	☉		$1165 \frac{5}{12}$
	♂		$5032 \frac{1}{12}$
	♁		$11611 \frac{1}{2}$
	♃		$17225 \frac{1}{4}$
<i>stellar: fixarū.</i>		$20081 \frac{1}{2}$	

Continet autem unus Semidiameter Terra miliaria Germanica 860.

De inde ipsorum corporum seu Planetarum magnitudines, ex proportione suorum dimetientium ad dimetientem terra colligi possunt. Nam proportiones corporum sunt triplicate suorum dimetientium, Triplicantur autem proportiones per multiplicationem cubicam Terminorum. Ut dimetiens Saturni habet se ad dimetientem.

- Terra, sicut 9. ad 2.
- Iouis, sicut 32. ad 7.
- Martis, sicut 7. ad 6.

Solis

Solis, sicut 11. ad 2. & c.

Est igitur Saturnus maior terra 91.

Iupiter excedit terram 95.

Solis magnitudo superat terram 166.

Luna est una quadragesima pars Terræ.

Ac corporum Solis, Terræ & Lune proportionibus illustri demonstratione peruestigat Ptolemæus libro Quinto Almagesti, ubi de Canone Parallaxium condendo agit. Ab hoc artifice plura de certissimis & constantissimis, in magna uarietate corporum cœlestium, motibus, ad Secundi diei opus illustrandum, studiosi petant. Nunc Vocabula quædam declarabo.

Firmamentum) רַקִּיעַ Rakia apud Ebreos expansum quiddam, seu extensum significat. Ut enim in castris tentoria expanduntur, quæ tegunt milites, uel ut Vesica extenditur, inflato aëre, ita uerbo Dei aqua in hanc cœli formam extensa est, ut dicitur, Psalms 103. Qui extendis cœlos tuos quasi tentorium. Zach. 12. Dixit Dominus extendens cœlos. Iob 9. Ierem. 51. 1. Pet. 3. Cœlum & terra ex aqua & per aquam uerbo Dei constituta sunt. Ideoq; Cœlum Ebreis ab aqua nomen habet.

שַׁמַיִם Schamaim, hoc est, ibi aquæ.

Græcis οὐρανὸς dicitur ἅπλῃ τῷ ἄνω ὀρατῶ. Nā Deus

Os homini sublime dedit, cœlumq; uidere

luserit, & erectos ad sidera tollere uultus. Alij

οὐρανὸν dici putant, quod sit ἅπλῃ τῷ ἄνω ὄρατος.

E Vocatur

Vocatur Olympus quasi ὀλολαμπής, Quia est lucidum corpus. Et aether dicitur ab αἴθερῳ flagro, splendo, seu ut Aristoteles scribit, ἀπὸ τοῦ αἰεὶ θῆναι, à perpetuitate motus.

De Aquis supra Caelos, quales sint, & ad quid utiles, nouit ipse, qui condidit, ut Bedæ uerbis utar. Esse tamen aquas supra caelos, & ex hac Moysi narratione, & ex Psalmo 103. perspicuum est.

Finxerunt autem aliqui Aquas ideo supra caelum collocatas esse, ut postea fenestris caeli apertis decedentes, Mundum Diluuiò obruerent, aut ut motuum caelestium ardorem rigent. Sed hæc incerta relinquamus, nec tamen allegorias comminiscamur, Sed ut hoc loco Basiliius ait, Ἐὐδωρ, ὑδωρ νοῆσω μω.

Obseruetur autem multiplex significatio uocabuli caelorum. Primum enim Caelum in scriptura regionem Mundi ætheream seu orbem caelestem significat. Deinde ærem. 2. Reg. 8. Si clausum fuerit caelum & non pluerit. Tertio, Habitationem Dei & beatarum animarum. Quarto, Conspectum Dei & iusticiam, gaudium, uitam æternam, & omnia beneficia, quæ Deus propter Christum pijs donat, Marc. 10.

TERTIUS DIES. Terra & Plantæ.

Stoicorum dictum à Cicerone laudatur, Omnes res

res ceteras ad utilitatem hominum esse conditas, Hominem autem ortum esse, ut Deum agnoscat & imitetur. Priusquam igitur Deus hominem fabricet, pulcherrimum domicilium ædificat, in quod hominem collocaturus est, ac secundo die Tectum eius domicilij miranda arte & pulchritudine ornatum extruxit, Nunc tertio die primum ædificij fundamentum ponit.

Conferatur autem ad huius diei opus illustrandum Psalmus 103. qui totus est Gratiarum actio pro creatione. Qui fundasti Terram super stabilitatem suam, non inclinabitur in seculum seculi. Abyssus (Mare) sicut uestimentum amictus eius (Terra) super montes stabunt aquæ, Qui emittis fontes ex conuallibus, rigans montes de superioribus eius, de pluuia satiabitur terra &c.

De Terræ situ, figura, immobilitate & magnitudine, ex Sphæricis elementis & Physica discendum est. Pueri hos Versus meminerint.

Terra pile similis, nullo fulcimine nixa,

 Aëre sublimi tam graue pendet onus.

Cum te pendenti reputas insistere Terra,

 Nonne uel hinc clarè conspicis esse Deum.

Ambitus maximi circuli in globo Terreno est milliarium Germanicorum 5400.

Diameter Terræ est milliarium 1718.

Conferatur autem ad hanc partem operis tertij diei illustrandam tota doctrina de Terra, de diuer-

 E 2 sis teræ

sis terræ regionibus, quarum aliæ fecunditate, aliæ amœnitate, aliæ splendore urbium, aliæ alijs donis antecellunt, de metallis, quæ eruuntur ex terra, uide licet, Auro, Argento, Ære, Ferro, Stanno, Plumbo, Orichalco, de lapidibus, de marmoribus, magnete, Pyritis, de lateribus, de Gemmis, Adamante, Achate, Smaragdo, Beryllo, Ametisto, Hyacintho, &c. de Calce, de Sale, de Stagnis, de Fluminibus, de Fontibus, de Thermis &c.

Germinet Terra Herbam uirentem.) Ut fecit, priusquam nascatur, præparat Deus uictum in uberibus matris: ita priusquam homines conderet, Terram plantis instruxit, ut esset Penu ex quo Homines alimenta necessaria depromerent.

Sunt autem in hac parte operis tertij diei, plurima prouidentie diuinæ testimonia illustria.

1. Conseruatio uniuersalis & perpetuus ordo & propagatio specierum, Distinctarum in singulis plantis, & quod ex similibus similia gignuntur, ut ex tritico triticum, ex ceraso cerasus, non olea, ἐκ τοῦ πυρῶς πυρῶς ἄλλὰ μὴ ἐλαία, ut in Secundo de Generatione Aristoteles inquit.

2. Modus propagationis seu generationis plantarum, uidelicet, quod ex radice uel granulo in terram coniecto, & putrefacto, eiusdem speciei plantæ nascuntur, & cum terra gremio mollito atq; subacto semen sparsum accepit, primum id occatum cohibet, deinde tepesactum uapore & complexu suo diffun-

diffundit & elicit herbescentem ex eo uiriditatem, quæ nixa fibris stirpium sensim adolescit, culmoque erecta geniculato fundit frugem Spicæ ordine stru-ctam &c. ut in Catone Ciceronis dicitur.

Estq; hæc ipsa frugum generatio illustris imago resurrectionis nostrorum corporum. Vt enim Semina humo condita non gignunt fruges, nisi prius putrefacta & corrupta, sic corpora nostra non resuscitantur, nec glorificantur, nisi prius sepulta in terra, & quoquo modo consumta sint, 1. Corinth. 15. & Iohan. 12.

3. Varietas prope infinita arborum, fructuum, herbarum, frugum, panis, fructuum, florum, leguminum, olerum, succorum, liquorum, & ceterorum terra nascentium, quarum nomina & descriptiones peti possunt ex Theophrasto, Plinio, Dioscoride, Ruellio, & alijs qui stirpium historiam scripserunt. Pueri hoc Stigelij distichon meminerint.

Et mihi planta suis nomen demonstrat ab Herbis,

Præsentemq; refert quelibet herba Deum.

4. Vires mirandæ & arcane, singulis terra nascentibus ad uarios morbos depellendos inditæ.

5. Fœcundatio terræ, quæ luminum coelestium uiribus alias fœcundo calore tepescit, alias rigatur, alias arefcit, alias astricta gelu quiescit, Et ortus ac occasus Syderum ad ciendas singulis anni temporibus tempestates, rebus nascentibus conuenientes, ordinati sunt.

E 3 6. Cunctæ

6. Cunctæ res terra nascentes, ad animantium
& præcipue hominum uictum & alias utilitates
destinatæ sunt.

QVARTVS Dies.

Fiant Luminaria.

Quarto die Cœlum expolitur Sole, Luna, &
Stellis, Horum pulcherrimorum luminum utilitates
quatuor Moses recenset.

I. Faciunt discrimina diei & noctis, ut sit inter-
uallum laboris & quietis, sicut Psalm. 102. dicitur,
Ortus est Sol, exiit homo ad opus suum, & ad la-
borem suum usq; ad uesperam. Et congruit Cicero-
nis dictum. Diei noctisq; uicissitudo conseruat ani-
mantes, tribuens aliud agendi tempus, aliud quies-
cendi. Hunc ordinem temporum à Deo & natura
prescriptum confundere, multum & moribus &
ualetudini obest.

II. Præbent lucem toti rerum nature & præci-
pue hominibus.

III. Sunt Signa.

1. Prouidentia Dei. Nullum enim illustrius testi-
monium est, conuincens nos, Mundum ab aliqua men-
te sapiente & ortum esse, & conseruari, quam aspe-
ctio

Ratio & consideratio naturæ, luminis, efficacie & mirandorum motuum, qui Soli, Lunæ, & cæteris Planetis ac Stellis fixis diuinitus attributi sunt. Ideo uere inquit Plato in Timeo, Oculos eam ob causam præcipue hominibus datos esse, ut conspectis Syderibus & certissimis Syderum motibus, duces essent ad agnitionem Dei. Et in Epinomide ait, Gratiam de Deo famam in astris & doctrina astrorum sparsa esse. Quæ sententia hoc uenustissimo disticho expressa est.

ἄστρα μὲν αὐτὰ πέλα θεῶν σὺμῆα προνοίας
μακροῦ δ' ἢ ἄστρον δεωσιῶν διδασχῆ.

Astra quidem sunt ipsa Dei certissima signa,
At doctrina Deum certius ista docet.

Plurima etiam uestigia diuinitatis & imagines Christi, & ac Ecclesiæ in Solis & Lunæ corporibus proposita sunt. Vt enim in Sole sunt lumen ἀπανάγασμος & calor, ita in una essentia diuina tres personæ inter se distinctæ & tamen ὁμοῦσιοι sunt. Item, ut Sol lucem suam impertit Lunæ & omnibus Stellis, ita filius Dei est lux uera, illuminans omnem hominem uenientem in Mundum. Item, ut Sol in perigeo cum longissime uidetur à uertice nostro abesse, tamen terræ proximus est, ita Christus in ærumnis cum plane nos deseruisse uidetur, nobis proxime adest, & opem ac salutem optatam adfert.

E 1 .Sunt

2. Sunt signa pluviarum seu tempestatum, quae certorum Syderum ortibus & occasibus efficiuntur: Vt in elegantissimo Stigelij Carmine dicitur.

Ergo ubi nocturno rorantem Pleiada lapsu
Arduus ad ueris tempora cardo tenet,
Observans timidus pendentem rusticus imbrem,
Sit bonus hic teneris frugibus imber ait:
Occidit eous Maia comitatus Orion,
Et sata caelesti condita spargit aqua.
Afflat anhelantem maturis frugibus aestum,
Pressa licet uentis mollibus orta canis.

Huc etiam prognostica, quae à Sole & Luna sumuntur, referenda sunt.

3. Ira Dei & impendentium poenarum, quas praedicit Deus Eclipsibus & Planetarum insignibus coniunctionibus uel oppositionibus, Luc. 21. Erunt signa in Sole & Luna, & Stellis.

4. Morum in communi uita, ut apud Plutarchum pag. 46c. Moralium dicitur, Quemadmodum Sol, cum altissimus est, tardissime mouetur, sic principes in maximis successibus, in summum fastigium euecti, sint modestiores & cunctantiores.

Basiliius inquit, Lunae luminum uarietatem significare, quod nihil in rebus humanis stabile sit.

Lusus fortunae, uariatur imagine Lunae
Crescit, decrescit, constans consistere nescit.

III. Statae uices temporum Anni, & festorum
& spa

et spacia dierum, mensium, annorum, beneficio motuum Solis et Lune animaduersa et distributa sunt. Ac temporum distinctio nobis in Ecclesia precipue necessaria est, ut initia mundi, exordia religionum, seriem diuinarum patefactionum, collectae et instauratae Ecclesiae, ordinem imperiorum scire possimus, Cum autem sine obseruatione cursus et interuallis ac spacijs motuum Solis et Lune, anni, mensium, et dierum metae cerni nequeant: sciamus mandato diuino nobis hic praecipere, ut doctrinam Astronomicam considerantem Solis ac Lune et ceterorum Syderum motus, magnitudinem, distantiam, efficaciam, summo studio excolamus.

Obseruent autem hic studiosi uocabulorum significationes. Hebraea dictio רַבְּרַב non tanquam quatuor anni tempora uer, astatem, autumnum, hyemem, aut mensuram motus, more Physico denotat, sed phrasi Scripturae etiam dies festos significat, quibus homines ad cultum diuinum conuenire solent, a רַב et רַב quod etiam conuenire et congregari significat. Ac ut Iudaeorum festa legitime celebrarentur aliqua motuum obseruatione, et certa anni ratione opus fuit. Nam Pascha 14 die primi mensis Lunaris Synodici seruandum erat. Considerandus igitur fuit Lune cursus, initium anni, ingressus Solis in Arietem, et coniunctio Solis et Lune, quae aequinoctio uerno proxima erat, a qua dies quatuordecim numerandi erant usque ad festum Paschae etc.

E S DIES

DIES significat spacium temporis, quo Sol motu primī Mobilis ab ortu uersus occasum semel circa terram reuoluitur. Estq; 24. horarum, & 4. minutorum.

ANNVS est tempus, quo Sol motu proprio, ab occasu uersus ortum semel totum Zodiacū peragrat. Estq; dierum 395. horarum 5. min. 49.

MENSIS LUNARIS SYNODICVS, est Tempus ab una coniunctione Solis & Lunæ ad proxime sequentem, & continet dies 29. horas. 12.

MENSIS LUNARIS PERIODICVS est Tempus, quo Luna motu proprio ab occasu uersus ortum semel totum Zodiacum peragrat, quod fit diebus 27. horis 8.

MENSIS SOLARIS est Tempus, quo Sol motu proprio conficit unum signum Zodiaci, uidelicet dies 30. horæ 10.

Vsi sunt autem Iudæi mensibus lunaribus Synodicis, quorum duodecim efficiunt dies 354. His addiderunt undecim dies Epactas, ut cum Solis motu congruerent,

gruerent, ut ex historia Nohe animaduerti potest.

Nostri menses in Calendarijs nunc usitatis, nec ad Lune, nec ad Solis motum congruunt, Sed ita distributi sunt à Iulio Cesare & ad ciuiles usus accommodati, ut Anni quantitas constaret certa & inuariabilis.

Sed integra descriptio Anni, diuersorum mensium, dierum, Aurei numeri & c. ex libellis Sphæricis, Theoricis & Computo sumatur.

Luminaria magna:) Scilicet qualitate luminis, non quantitate magnitudinis, de qua Ptolemæus libro Quinto differit, qui docet proportionem Diametri Solis ad Diametrum Terræ esse, sicut 11. ad 2. Hinc proportio corporum colligitur terminis cubice multiplicatis, sicut 166. ad 1.

Proportio Diametri Terræ ad Diametrum Lunæ eodem loco à Ptolemæo demonstratur, esse sicut 17. ad 5. Est igitur Luna una quadragesima pars Terræ.

Intueantur autem Stodiosi, non modo Solem & Lunam, sed etiam cæteros Planetas, Iouem, Saturnū, Martem, Venerem, quæ cum præcedit ortum Solis, Lucifer, cum sequitur obitum Solis, Hesperus uocatur. Et aspiciant etiam stellas fixas, & discant nomina & positus aliquarum quæ sunt insignes.

Ac in Biblijs Amos. 5. & Iob 9. 37. 38. nominantur Pleiades, Arcturus, Orion, Hyades.

Astronomi ueteres 1022 stellas obseruarunt. easque in qua-

in quadraginta octo Imagines conformarunt, Quas Asterismos nominant.

In Zodiaco duodecim signa.

Sunt Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo, Libraq;, Scorpius, Arcitenens, Caper, Amphora, Pisces.

In Arctoa parte cœli 21. in Notia 15. numerantur.

Maxima autem illustres stelle sunt, quas prima Magnitudinis Astronomi uocant, Sirius, Arcturus, Cor Leonis, Spica Virginis, Oculus Tauri, Lyra, Capella, Dexter Humerus Orionis, Procyon, &c.

De Ortibus & Occasibus Stellarum libellos sphericos, & Plinium lib. 18. à cap. 25. usq; ad 31. Studiosi si legant.

QVINTVS Dies.

Piscium & Auium Creatio.

Quinto die Pisces & Aues ex aquis conduntur. Vbi PRIMVM consideretur testimonium omnipotentiae diuinæ, quod ex una eademq; materia, uiselicet Aqua diuersissimorum animantium natura fabricate sunt, ita ut Pisces tantum in aqua labill natent, Aues autem pleraq; in aqua stabili seu aëre tantum uiuere possint.

SECVNDO. Varia genera, adpellationes, natura, *συμπάδια* & *ἀντιπάδια* & integra descriptio

scriptiones piscium ac auium, ad huius diei opus illustrandum, ex Plinij lib. 9. 10. 31. 32. & ex Aristotelis libris de generatione, de partibus, & historia animalium transferantur.

Precipue autem admiratione digna sunt Simulacra uirtutum & uitiorum, quæ Deus sparsit in animantia, ut nos ad uirtutem inuitarent, et à uitijs dehortarentur.

Apum prudentia, castitas, obedientia erga Regem, sedulitas, labor, frugalitas, à Plinio lib: 11. ab Aristotele lib. 9. Historiæ Animalium, & à Virgilio lib. 4. Georg. celebrantur.

Ciconiæ Parentes senio confectos alunt & gestant, unde est uerbum ἀντιπελαργῆρ. Dicuntur & iura Coniugij seruare & adulteros rostris necare.

Columbarum etiam pudicia celebris est, Seruant enim coniugij fidem inuiolatam, nec rumpunt fœdus, nisi alter uiduus aut uidua fiat, seruant communem domum, sunt fœcundæ, Ideo uetustas finxit eas trahere currum Veneris.

Halcyon & Ceyx uerum & syncerum amorem mutuum, qualis inter Maritum & Coniugem esse debet, adumbrant

Lucinæ sunt Musicæ.

Anserum uigilantia prædicatur.

Pauo superbiæ & humilitatis imaginem refert, exponit gemmantes colores caudæ, & seipsum spectat

stat ac ostentat spectantibus, sed cum pedes deformes intuetur, statim demittit pennas.

Cuculi ingratitude nota est.

Corui sunt ἄσσοποι, deserunt pullos implumes, quibus fame pereundum esset, nisi Deus ita ordinasset, ut ex carnibus cadaverum in nidos congestis, & ex stercore uermiculi nascerentur, quibus tantisper pulli alantur, donec adolecant. Ex hac historia natura Coruorum intelligi potest, cur in Gratiarum actione ad Mensam hic Versus Psal. 146. recitatur. Qui dat iumentis escam ipsorum & pullis coruorum inuocantibus eum.

Passerum salacitas omnibus nota est, Cum autem hanc uilem auem, quæ propter salacitatem non extendit uitam ultra biennium, curet & seruet Deus, quanto magis nos seruabit, Matt. 10. Sic multis Christi & Prophetarum concionibus lucem adfert consideratio naturæ animantium, quorum creatio in hoc capite describitur.

TERTIO. Vocabulorum significationes obseruentur.

Reptile animæ uiuentis:) id est, reptilia uiuentia, id est, pisces maris & fluminum. Reptilia enim uocant Ebræi animantia quæcunq; pedibus careant.

Cete grandia:) Vox Ebræa Thammim proprie significat animalia illa oblonga, quæ præ se ferunt formam Serpentis. Hic tamen accipitur pro animalibus

libus aquatilibus immensa magnitudinis. Et doctrina
 prouidentiae traditur, Cum Deus ingentia illa mon-
 stra marina nutriat: multo magis nostra corpora
 multo minora & ipsi cariora alet.

κῆτος κῆτεος, in plurali κῆτα latine Balenas si-
 gnificat, quarum monstruosam magnitudinem aliqui
 uestrum ex duabus costis, quas Vitebergæ in Tem-
 plo Arcis sitas uiderunt, æstimari possunt.

Omniem animam uiuentem, id est, Omnia anima-
 lia uiuentia.

Benedixitq; illis: id est, sæcunda reddidit, ut
 experientia comprobat singularem piscium & auia-
 um fecunditatem esse. Significat autem uox Bene-
 dicere aliàs Gratiâs agere seu laudare, ut Psalmo
 102. Benedic anima mea Domino. Luc. 1. Benedictus
 Dominus Deus Israel: aliàs, bona precari, ut Iacob
 benedicit filijs: aliàs benefacere, ut cum Deus bene-
 dicit, Nam Dei dicere est facere. Aliàs significat
 remissionem peccatorum, gratiam Dei & omnia be-
 neficia, quæ Deus propter Filium credentibus ex-
 hibet, ut in promissione tradita Abraham: In Semine
 tuo benedicentur omnes Gentes, Quam Paulus Ga-
 lat. 3. enarrat.

De Auium generatione, Ouis Incubatione, for-
 matione & exclusionem pullorum legent Studiosi
 Aristotelem lib. 6. Historiæ animalium ab initio
 usq;

usq; ad cap. 10. Et Plinium lib. 10. cap. 52. 53. Et Albertum lib. 16. Tractatu primo.

De Piscium & aquatiliu foetura & prolificacione legatur Aristoteles lib. 6. Historiae Animalium cap. 10. 11. 12. 13. & c. Et lib. 5. cap. 5. 6. 7. 10. 11. 12.

SEXTVS DIES.

Animalia Terrestria & Homo.

Animam uiuentem: Synecdoche & Enallage numeri, Animam uiuentem, id est, Animalia uiuentia, In genere suo, id est, uaria genera animalium.

Partitur autem ea in tres Classes. Iumenta. **בהמה** Behema quae nos in operibus domesticis in arando aut rebus transuehendis iuuant, ut boues, equi.

Reptilia sunt humi repentia, ut serpentes.

Bestiae terrae sunt ferae, ut Leones, Ursi & c. de quorum animalium formis, appellationibus, naturis, doctrina ex Plinio, Aristotele, Alberto, Basilio & alijs huc referatur.

Faciamus Hominem ad imaginem & similitudinem nostram.

Amplissima sapientia, quae penitus exhauriri non potest,

poteſt, in hoc breui dicto, quod deſcribit hominis conditionem, continetur. Primum autem dicant de Imagine Dei in Homine.

DE IMAGINE Dei in Homine.

Proxima imago æterni Patris eſt Filius, qui effigies ſeu character ſubſtantiæ Patris dicitur. Eſtq; talis ſimilitudo imaginis in Filio & Archetypo, ut eadem ſit utriuſq; ſubſtantia, diuinitas, gloria, et maietas. Deinde & humana natura ad totius diuinitatis imaginem condita eſt.

Ac fuit hæc IMAGO non ſolum eſſentia mentis & uoluntatis, nec tantum relatio, ſeu acceptatio humani generis coram Deo, Sed etiam qualitas ſecundæ ſpeciei, hoc eſt, reſtitudo & excellens præſtantia omnium uirium hominis, mentis, uoluntatis & cordis, congruens cum archetypo, ſeu mente diuina.

Et fuit in mente lux, id eſt, illuſtris noticia Dei, & firma aſſenſio ſine ulla dubitatione, de Deo, de prouidentia, de

F pro